



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Judiciis Ecclesiasticis Ad Germaniæ Catholicæ
Principia Et Usum**

De iudiciis criminalibus

Zech, Franz Xaver

Ingolstadii [u.a.], 1766

Titulus XII. De Hæresi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68185)

TITULUS XII.
DE HÆRESI.

*Conf. Lib. V. Decretal. Tit. 7. In Sexto
Tit. 2. In Clement. Tit. 3. In Extravag.
Commun. Tit. 3.*

§. 151.

*Inter Cri-
mina con-
tra Fi-
dem*

POST doctrinam de Criminibus & Pœnis in genere traditam, jam recensenda sunt in specie Delicta peiora & eorum Pœnæ, de quibus etiam Sacri Canones intuitu Fori Criminalis mentionem faciunt. Tali sunt I. contra Fidem. II. Contra Religionem. III. Contra Justitiam; a) circa bona temporalia; b.) circa vitam hominis; c.) circa honorem. Denique IV. Crimina Carnis. Primum igitur locum teneant Delicta contra fidem. Huic contraria sunt Hæresis, Apostasia, Schisma, Infidelitas, Judaismus.

*Conside- §. 152. Hæresis formalis est erro-
ratur in- voluntarius, quem homo baptizatus pri-
mumis tinaciter tenet contra aliquam veritatem
Hæresis. Fidei Catholicæ. Quando autem non
malo animo, aut ex pertinacia, se-
ex*

ex simplicitate, aut defectu debite informationis quis errat circa fidem, vocari solet Hæreticus materialis, modo habeat bonam voluntatem se submittendi doctrinæ Ecclesiæ, quam primum illam agnoverit, preces interim fundens ad DEUM pro ea rite agnoscenda. Hæresis alia est interna seu mentalis, quæ in mente retinetur, nec ullo facto aut verbo externe manifestatur; unde etiam poenis Ecclesiasticis non subjacet: alia externa, quæ verbo vel facto exprimitur, sive hoc fiat publice coram aliis, sive occulte, etiam nemine præsentente. *Hereticorum*

§. 153. Sectarum hæreticarum ingens est numerus, fuitque semper ingens a tempore Apostolorum 64.). *Juxta numerum.*

M 4

ta

64.) Multæ tales sectæ recensentur in Can. 39. XXIV. q. 3. In Codice Theodosiano & Justiniano Tit. de Hæreticis. In concordantibus hujus Tituli Rubricis, ac Bulla Cœnæ. Plures recenset S. EPIPHANIUS, ALPHONSUS A CASTRO, & JOAN. SIANDA in Lexico Polemico. P. CAROLUS MEICHELBECK Hist. Frising. tom. 2. fol. 315. numerat plures ex Lutheri doctrinis natas, quas etiam Lutherani damnant. Hanc recensionem ægre fert LÆYSERUS ad Pandect. Vol. 8. spec. 566. in Coroll. fol. 609.

ta Leges Civiles 65.) *Hereticorum vocabulo continentur, qui vel levi argumento a iudicio Catholicæ Religionis, & tramite detecti fuerint deviare. Vel non sunt membrum sanctæ DEI Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ, in qua omnes concorditer sanctissimi Episcopi . . . Apostolicam prædicant fidem atque traditionem* 66.). Fides autem Catholica & Apostolica continetur in Symbolis 67.) in Canonibus Conciliorum Generalium, in Decisionibus Romanorum Pontificum ex Cathedra, consentiente reliqua Ecclesia,

Judex in crimine hæresis.

§. 154. Ad cognitionem doctrinæ hæreticæ solus Judex Ecclesiasticus est competens: & quidem si dubitatur, an aliquod dogma sit hæreticum, solus Papa, aut Concilium Generale decidere potest. Si de heterodoxia dogmatis constat, in sectatores talis doctrinæ Jurisdictionem exercet Episcopus, Capitulum Sedis vacante, habentes quasi Episcopalem Jurisdictionem. Pœnas infligere potest,

65.) L. 2. §. 1. C. de Hæret.

66.) Novell. 109. Princ.

67.) De quibus in Præcogn. Jur. Can. tit. 6. §. 59.

test, imo tenetur etiam Judex Laicus illis, qui ab Inquisitore, vel Episcopo traduntur Curia. Quando dubitatur, an subditus Principis Catholici profiteatur exercitium Religionis toleratae, an vero hæreseos non toleratae; Judex erit ipse Princeps consultis suis Theologis Catholicis, nec opus est confugere ad iudicium A Catholicorum: habemus enim libros A Catholicorum toleratorum, cum quibus facile conferri potest doctrina talis subditi, ut inde statuatur de jure emigrandi.

§. 155. Leges omnes acerrime persequuntur Hæreticos, eorumque fautores: Pœnam eorum statuunt Infamiam Juris; amissionem potestatis patriæ & dominicæ; privationem privilegiorum, *quæ contemplatione religionis indulta sunt*, hæc enim *Catholica tantum legis observatoribus prodesse oportet* 68.). Item privilegium dotis, quo mulier creditoribus tempore prioribus antepositur, nec non de tacitis hypothecis, & alia omnia mulieribus a lege data, clauduntur his, quæ Catholicam non participant communio-

M 5

munio-

68.) L. I. C. de Hæret.

muationem 69.). Omnia loca publica, aut privata, quæ hæreticorum coetibus copiam præbent, Ecclesiæ Catholicæ vindicantur 70.) jus testandi & succedendi adimitur & præcipue contra certos hæreticos Leges Civiles bonorum publicationem, pœnam exilii & mortis statuunt 71.). Juxta SS. Canones Poena hæreticorum est Irregularitas, privatio Sepulturæ sacrae; Excommunicatio latae sententiæ Pontifici reservata, si laici sint; depositio ex ordine & ab omni officio & Beneficio Ecclesiastico, si Clerici sint; deum degradati traduntur Judici seculari 72.). In territorio Pontifici publi-

69.) Anth. item ibid.

70.) L. 3. ibid.

71.) Tot. tit. de hæret. Novell. 109. Recentius ejusmodi pœnas statuit **FRIDERICUS II.** Imperator in Constitutione ab **HONORIO** Pontifice confirmata, quæ ponitur in fine Corporis Juris Civilis: versio germanica nonnihil immutata exhibetur in *Recess. Imper. edit. novell.* part. 1. fol. 27. seqq. Tres ejusdem Imperatoris Constitutiones contra hæreticos exhibet **GOLDASTUS** *Const. Imperat.* tom. 1.

72.) C. 9. & 13. de Hæret.

publicantur eorum bona, in aliis Provinciis ad idem faciendum compelluntur Principes 73.). Actus ordinis exercentur valide ab hæreticis, excepta absolutione, & qui supponunt Jurisdictionem. Prohibentur etiam Catholici, audire hæreticorum Conciones; legere eorum libros de Religione tractantes: disputare cum ipsis de doctrina fidei, nisi quis probe versatus sit in Controversiis Religionis: unde laicis quoque prædicationis officio interdictum est 74.).

§. 156. Quamvis Catholicus communicare non possit cum Hæreticis in exercitio Religionis; vitare tamen eos in negotiis secularibus non tenetur, nisi publice & nominatim denuntientur tanquam excommunicati. Quamvis igitur singulis annis in Bulla Cœnæ excommunicentur Zwingliani, cum singulis tamen licet negotia secularia tractare, donec aliquis ex iis proprio nomine & publice declaretur excommunicatus. An autem Princeps in suo territorio tolerare possit Hæreticos, varie disputatur.

73.) C. 10. de Hæret.

74.) C. 12. ibid.

tatur. Id certum est, in Germania passim tolerari juxta normam Anni 1624. exercitium alienum à Religione Catholica ex Pace Religiosa, & Instrumento Pacis Westphalicæ Anno 1648. conclusæ, cujus articulos quidem INNOCENTIUS X. Summus Pontifex reprobavit, impedire tamen eorum executionem non potuit, ut alibi notatum 75.). Qui Anabaptistis, Wicleffistis, aliisque Hæreticis liberum exercitium in Germania concedunt, non tantum contra Leges Ecclesiasticas, sed etiam contra leges publicas Imperii delinquant.

*An pœna
Juris
cessent in
Germania?* §. 157. Cessant quidem dictæ pœnæ temporales ob legis publicæ tollerantiam: non tamen cessant omnes apud Clericos & Religiosos, si a fide Catholica deficiant: isti enim non tantum privantur Ecclesiasticis Beneficiis & Dignitatibus, vi Reservati Ecclesiastici in Pace Religiosa & Westphalica statuti, sed etiam, saltem in Tribunalibus Ecclesiasticis, censentur intestabiles active & passive, aliisque pœnis subjiciuntur. Nam dictæ Pacificationes quoad cives & sub.

75.) In Præcogn. Jur. Can. tit. 19.

subditos Imperii Romani naturam Legis Civilis obtinent, quæ si discrepet a Lege Ecclesiastica, in Foro Canonico non attenditur. Dein Religiosi & Clerici favoribus, si quos ex Pacificatione habere possent, renuntiare videntur, dum specialem obedientiam spondent Superioribus Ecclesiasticis, eorumque Jurisdictioni se subjiunt: nemo enim cogitur Pacis Westphalicæ exemptionibus uti, si sponte non velit. Vicissim autem, licet hæretici velint Ecclesiasticarum Legum onus excutere, non possunt tamen se liberare a subjectione, quam in Baptismo sunt professi: unde etiam subjacent pœnis per Canones statutis, a quibus tamen in foro seculari ob tolerantiam liberantur.

§. 158. Potestatem absolvendi ab hæresi formali occulta in foro conscientie permittit Concilium Tridentinum 76.) Episcopis: pluries tamen a S. Congregatione Concilii interprete declaratum est, eam potestatem per Bullam Cœnæ Episcopis ademptam, & Summo Pontifici reservatam

76.) Sess. 24. de Reform. c. 6.

vatam esse 77.). Si quis defertur ad Episcopum ob crimen hæresis, potest Episcopus ejurata hæresi eum absolvere ab Excommunicatione pro foro externo, ubi non sunt Inquisiteurs: sublata Censura potest absolvere quivis Confessarius pro foro interno a peccato, juxta illos, qui dicunt, ipsum peccatum hæresis non esse reservatum, nisi sit conjunctum cum Censura: quæ tamen doctrina nequaquam certa est 78.).

Ab hæresi

§. 159. Communis & rationi conformis est persuasio, mitius debet agi cum iis, qui nati & educati sunt in hæresi, cum potius benigne invitari, quam ob difficilem recursum absterreri debeant ab amplectendo fide Catholica, præsertim cum plerimi sint hæretici materiales. Deinde apud hos agitur de hæresi notoria & publica, cujus se reos in sacro Judicio sistunt: de hac autem Episcopi competit Jurisdictio. Tales hæretici sunt

77.) VINCENT. PETRA tom. 3. c. 1.
CONST. XVIII. INNOCENT. IV. n. 1.
seqq.

78.) Vid. P. SCHMALZGRUEBER ad hanc
tit. n. 189.

sunt etiam plerumque legitime impediti, ut non possint adire sanctam Sedem, ob quam rationem potest absolvere Episcopus jure ordinario.

TITULUS XIII. DE SCHISMATE.

*Conf. Lib. V. Decretal. Tit. 8. In Sext.
Tit. 3. Extrav. com. Tit. 4.*

§. 160.

HÆRESI affine est *Schisma*, quod *Schisma* juxta græci nominis etymon divisionem significat, & definiri potest *separatio a corpore Ecclesie orta ex superbia membrorum, -authoritati ejus se submittere recusantium, in articulis ad unitatem ejus conservandam necessariis.* Tales articuli sunt unitas fidei, participatio eorundem Sacramentorum, submissio animi, qua inferiores obediunt legitimis Superioribus sub uno Capite Vicario Christi, in quantum hic est universalis & visibilis Ecclesie Caput. Separatio in his vel est formalis hæresis, vel fit per spiritum contumaciæ & rebellionis, quo Ecclesiasticæ authoritati debitum obedientiæ jugum excutitur, ac capitis
in